

rei pulveris cadis : a Siculo aliquot peditum vexilla transmis-
sa.

1537

Andræ Auria, qui tum Neapoli erat, literæ dantur; iis
petitur, ut Brundisium cum classe profectus, se nostris ad-
jungat. Epistolis per Gasparem Basalum Venetorum negotia-
torum, qui tunc Neapoli morabantur, consulem redditus, ni-
hil Auria permotus; modo se Massiliam, ut cum Gallica clas-
se confligeret, modo Genuam, ut triremes reficeret, iter sibi
habendum dicere. Basalus flagitare, ut tantisper subsisteret,
donec Roma Cæsareanorum mandata de consociandis classibus
ad subsidium Corcyrae subvehendum acciperet. Ad hæc Au-
ria: sapius Pefareum, Reipublicæ imperatorem, ut arma ad
Chariadenum opprimendum fociaret, invitasse: quando nullo
negotio cum octoginta triremibus per Corcyraeum fretum trans-
euntem, haud dubia victoriæ spe adoriri, ac superare in eo-
rum potestate esset; id Pefareum renuisse, mandata Senatus,
ut in neutram inclinaret partem, habere dictitantem: quod
præcipuum Ottomanorum maritimum robur incolume evasis-
set, culpam ad Venetum imperatorem pertinere; inde de re-
liqua illorum oppugnanda classe spes recisas, quam, si cum
Chariadeno pugnatum esset, ad Aulonem delevisset: tandem
Venetorum consilia improbare, quod medii inter Christiano-
rum imperatorem, ac Turcas se gererent: classi Venetæ se
adjungere nullo pacto posse; jam armatas naves dimisisse, tri-
remibus pontificiis, & Melitenis profectionem permisisse;
modo per remigum paucitatem, ac lassitudinem sibi id non
licere. Ad ea Basalus: quod Pefareus ad Aheneobarbum de-
bellandum maritimas Venetorum vires cum Cæsareana classe
non conjunxisset, mandata Senatus obstitisse: consiliorum ra-
tiones Pontifici, & Cæsari expositas, probatas fuisse; nunc,
immutatis rebus, hostes Corcyram adortos; foedus Romæ,
ac Venetiis percussum: cur in præcipua insula defendenda ar-
dentes alioqui spiritus in ipso tepercerent? cur locum, in quo
tantum momenti ad Italiæ incolumitatem situm erat, imma-
turo consilio defereret? an non tantum auctoritate, ac præ-
clare gestarum rerum fama terroris hostibus asferre posset,
quantum si perpauca illæ naves, ac triremes, quas se dimi-
sisse ajebat, adessent? Visus aliquantisper commoveri Auria;
qua-

*Senatus ab
Andrea
Auria, ut
classem cum
Pefareo con-
jungat, pe-
tit.*

*Andrea
Auria re-
sponsum.*